



## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...**

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec  
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione  
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè  
tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Quæst. IV. De Objecto Materiali & Formali Charitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

*Quaest. IV. De objecto Materiali & Formali Charitatis. 207*

cont. in adversarios legis & Prophetarum c. 5. & sequuntur (Sures alii) quod minimus beatus sit major & felicior Joanne Baptista seu alio sancto viatore, non tam ratione intensivi augmenti gratiae, quam ratione status beatitudinis, completæ Dei visionem, fruitionem & gaudium beatificum, cum perpetuitate, securitate, impeccabilitate &c.

29. Charitas actualis patriæ patrie est in seipsum charitate via.

Dico IV. Charitas actualis patriæ regulariter saltem est intensior, quam Charitas viæ, si fiat comparatio ejusdem beati ad eundem viatorem; sedus probabiliter est, si comparatio fiat ad diversos. Prima pars probatur: quia vix aut nunquam hic elicimus actum tam intensum, quam potentia cum habitu elicere possit, ob imperfectionem notitiæ, obstacula concupiscentiæ, & similia, quæ in patria cessabunt, & in qua objectum clarissime visum rapit voluntatem, ut ad extremum potentiae suæ & habitus exardescat in amore divino. Accedit, quod juxta sententiam multorum vix umquam contingat, ut adultus hic accipiat totum augmentum gratiæ seu charitati ad quod jus habet & quod in patria consequetur: quodque potentia cum habitu infuso possit elicere actum habitu intensiorem: id quod contingit in patria, si usquam.

30. Non ita in diversis.

Secunda pars colligitur ex eo, quod licet nobis incerta sit mensura intensiois actuum, quia tamen nobiles Sancti in hac vita sunt præditi habitu charitatis incomparabiliter intensiori præ habitu multorum Sanctorum in cælo, qui in multis, v.g. decedentibus cum sola justificatione accepta in infantia, est valde remissus: hinc videntur priores operantes eum tam intensivo habitu, & pleno spiritus fervore, accedente adjutorio gratiæ actualis, elicere posse actum magis intensum, quam si Sancti in cælo; prout videtur contigisse in B. Virgine, & aliis pluribus.

QUESTIO IV.

*De Objecto Materiali & Formali Charitatis.*

31. Deus est objectum primarium charitatis.

Dico I. Objectum materiale primum est Deus, secundarium proximus, & omnia quæ possunt conducere ad bonum seu gloriam Dei, formale infinita Dei bonitas seu perfectio, quâ in se bonus seu perfectus est. Prima pars patet: quia Deus est primum & principale quod diligimus, & super omnia diligere debemus, & cui intrinsecum est charitatis motivum. Indeque Charitas in Scripturis appellatur Charitas Dei, tamquam proprii objecti scilicet dilecti Joan. 5. 2. ad Thessal. 3. 1. Joan. 3. & 5. juxta Augustinum & alios Patres; etsi interdum vocetur Charitas Dei, quâ ipse diligit nos, ut 1. Joan. 3. in hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Et alibi.

Secunda pars est communis omnium Doctorum. Et colligitur ex Scriptura 1. Joan. 4. Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & Charitas ejus in nobis perfecta est. Ratio est: quia proximus est bonum quoddam extrinsecum Dei, cujus gloria augetur per hoc, quod proximus ipsi amet, eique serviat. Igitur ad Charitatem spectat desiderare hæc similiave bona proximo propter Deum. Idemque est de proximo spectato secundum corpus, de quo omnibus aliis rebus, quatenus considerantur cedere posse ad gloriam Dei: ad eandem enim virtutem spectat intentio finis, & electio mediorum.

32. Secunda-rium, proximu.

Porro nomine proximi intelligitur hic omnis creatura rationalis capax æternæ beatitudinis, juxta Augustinum l. 1. de Doctr. Christ. c. 23. 26. & 30. alioque Patres; qui licet specialiter de hominibus loquantur, est tamē eadem ratio de angelis, immo & de Christo quatenus est homo: ideoque cum ceteris Theologis ita sentit D. Thomas 2. 2. art. 10. Unde quod ad rem ipsam spectat idem est sibi ipsi proximus ex charitate post Deum primo loco diligendus, propter quod dicitur charitatis ordo incipere à se ipso. An verò etiam proprie dicatur quis sibi ipsi proximus; pertinet ad quæstionem de nomine, & vim vocis spectando videtur potius sibi idem dicendus, quam proximus.

33. Quinam hoc nomine intelligantur.

Unde in præcepto, quo jubemur diligere proximos, sicut nos ipsos, patenter distinguimur nos ipsi à proximis nostris; quorum dilectio mensuratur dilectione nostri. Dum autem Gregorius Rom. 17. in Evian. dixit: Minus quam inter duos haberi charitas non potest, egit de charitate, quatenus dilectioni superaddit rationem amicitiae, quæ necessariò respicit alterum, cum sibi nemo amicus sit aut dicatur. Præterea non solum sunt diligendi justi, sed etiam peccatores, ac nobis malefacientes seu inimici: quos tamquam proximos amore prosequimur propter Deum, dum ideo cupimus procurare eorum conversionem & salutem, ad quam sunt ordinati. Damnatos autem homines & angelos, veluti jam incapaces gratiæ & gloriæ, non possumus perfecto amore charitatis prosequi, etsi imperfecto modo possumus de eorum interitu, & peccatis, quæ jugiter in æternum committunt, tristari, sive per inefficacia desideria circa eorum bonum salutare versari.

Tertia pars est Scoti d. 27. q. an. 5. Quantum ad istum articulum, & aliorum communiter. Ratio est: quia infinita bonitas & pulchritudo seu perfectio Dei est, quæ obiectivè proposita nos movet ad amandum Deum super omnia. Deinde ipsa movet beatos quantum ad actum fruitionis beatificæ, ergo etiam nos, quantum ad actum amoris hujus viæ. Insuper infinita bonitas Dei po-

34. Formale motivum, infinita Dei bonitas.

32. Quæ in scripturis præcipue charitas Dei vocatur.

Dei potest excitare ad sui amorem non minus, quam bonitas seu pulchritudo alicuius creaturae: ergo recte statuitur esse motivum; praesertim cum aliunde nil obstat, nec aliquid aliud congruè statui possit. Et in hoc distinguitur Charitas à spe, quòd hæc veluti amor mercenarius concupiscentiæ versetur circa Deum, quâ speranti bonum, Charitas autem non sit mercenaria, sed amor benevolentiae tendens in Deum quatenus bonum in se.

35. Sive adaequatè spectatur.

In finita porro, bonitas seu perfectio Dei absolute sumpta complectitur infinitam sapientiam, omnipotentiam & reliquas perfectiones in suo genere infinitas, ex quibus exurgat ens infinitum in omni genere entis. Et quamvis bonitas Dei sic spectata sit velut universalis in continendo omnem perfectionem, est tamen in se simplicissima ratio, sufficienter terminans & movens ad dilectionem supernaturalem.

36. Sive inadaequatè in singulis perfectionibus infinitis.

Nihilominus non apparet, cur anima nequeat in hac via distinctè & separatim sibi proponere singula Dei attributa. v. g. infinitam Dei sapientiam, misericordiam &c, ipsumque amare super omnia amore supernaturali, quia benignus & misericors est, quia infinite sapiens &c. Quemadmodum etiam fides supernaturalis habet pro motivo assentiendi aliquod attributum, scilicet veritatem Dei. Nec aliquid deficit in tali amore, quò minus spectet ad virtutem Theologicam, utique Charitatis. Nil etiam est, quòd obstat. Cum enim Charitas sit virtus infusa, adeoque se habeat instar potentiae, facile apparet, qui ipsa possit se extendere ad amorem Dei conceptum ex bonitate Dei, sive considerata adaequatè, sive sub ratione aliqua particulari & inadaequatè. Et quidem frequenter contingit, ut amatores Dei se sub diversis temporibus occupent in consideratione & admiratione diversarum Dei perfectionum, indeque consurgant in amorem vivificum dilecti sui, qui totus & infinite pulcher ac amabilissimus est, sive consideretur ut sapiens, sive ut iustus, sive ut misericors &c, sive ut hæc omnia complectens.

37. Qui perfectiones respectum ad extra dicentes sint motivum charitatis.

Nec obstat I. Quòd Deus quatenus misericors, liberalis, aut sub simili respectu ad nos, sit objectum amoris concupiscentiae, quo concupiscimus nobis beneficia à Deo. Nam si considerentur & amentur hæc perfectiones respectivæ, quatenus cedunt in bonum termini respectu, qui sumus nos, eatenus quidem amantur amore concupiscentiae: at si considerentur & amentur, quatenus Deum esse tam misericordem, tam liberalem & beneficium &c. est pulchrum & perfectio ipsius Dei, qui est quasi subiectum, indubiè terminant amorem benevolentiae & ad illum movent.

38. Identitas non obstat.

Non obstat II, Quòd omnes formalitates seu perfectiones divinae sint omnino idem à parte rei, adeoque attingantur sem-

per omnes simul à voluntate, quæ non præcindit. Nam etsi voluntas præcisionem non incipiat, potest tamen inceptam per intellectum continuare, tendendo per affectum in objectum, quatenus per intellectum proponitur, à quo Deus proponi potest inadaequatè, sive tamquam misericors, sive tamquam sapiens &c. Si tamen voluntas efficaciter amet aliquam rem ponendam in esse, eo ipso ponet omnia rei identificate, non quia hæc omnia formaliter amet, sed quia potentia executiva per imperium voluntatis determinata fertur in totum objectum, prout est à parte rei.

Non obstat III. Quòd Deus à nobis diligitur propter beneficia creationis, redemptionis &c. nobis collata, quæ ratio etiam assignatur i. Joan. 4. Nos ergo diligimus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Immo sine communicatione donorum non stat ratio amicitiae, qualis est charitas. Non obstat, inquam: quia beneficia non sunt proprium motivum amoris, sed causant debitum rependendi amorem benefactori: diligendus enim est ob suam bonitatem tantus benefactor, beneficiaque exigunt, ut amemus illum propter se. Gratiudò itaque erga Deum imperat amorem efficiendum ob incretam bonitatem. Quòd si considerentur non tam beneficia, quam bonitas tanta benefactoris, jam non itur extra incretam bonitatem Dei, quæ est motivum amoris. Similiter amor incretus Dei erga nos est, perfectio infinita ipsius. Adde beneficia seu communicationem Dei esse rationem quamdam secundariam, quæ nos allicit & provocat ad amorem: sicut amamus alterum ob doctrinam, virtutes, similesque perfectiones, qui tamen si noletur esse benevolus & redamare amantes, accedet particularis ratio amabiliatis alliciens ad amandum. Ut tamen in presenti amor noster perfectus sit, non tam debet esse propter beneficia, quam propter bonitatem & amorem divinum ex quo nobis communicatur, sic ut tunc magis ametur Deus, eò quòd tam bonus sit ut, nos debet esse amare, quam propriè ametur propter beneficium. Vide Scotum supra. Estque hæc communicatio necessaria ad amorem nostrum quatenus est amicitia juxta dicta quæ non tamen ad actum amoris præcisè: nil enim vetat diligere à nobis aliquem ob suas perfectiones & pulchritudinem, cum quo nil nobis communicationis & dependentiae intercedit. Quæ pulchrè declarat Scotus supra.

Non obstat IV. Quòd juxta Augustinum i. Soliloq. c. 6. per charitatem desideramus Dei conspectum. Nam intellige hoc, charitatem non quatenus per Dei conspectum beati efficiamur (hoc enim desiderat spes) sed quatenus per claram Dei visionem disponimur ad Deum perfectissimè amandum, ad quod charitas inclinatur. Quæ ratione animæ per-

quin perfectiones rationem diligatur Deus ob beneficia collata.

39. An vel qua ratione diligatur Deus ob beneficia collata.

40. Qui per charitatem desideramus Dei conspectum.

mae perfectae desiderant dissolvi & esse cum Deo.

Quae hic possent proponi de divisione amoris in amorem Dei tamquam auctoris naturae, & amorem Dei tamquam auctoris gratiae seu bonorum supernaturalium vide explicata *Tract. de Grat. d. 2. q. 4. m. 37. & seqq.*

41. Eadem simplex charitas elicit amorem Dei & proximi propter Deum.

Dico II. Eadem simplex & indivisibilis charitas habitualis inclinatur ad amandum Deum, & proximum propter Deum. Est communis Doctorum, & consonat Augustinus 8. de Trinit. c. 8. dicens: *Ex una eademque charitate Deum, proximum, diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Ratio sufficiens sumitur ex identitate motivi, quo nimirum non diversificato, non est necesse diversificari habitum supernaturalem (quidquid sit de naturali) utpote se habentem instar alicujus potentiae, non autem instar vestigii suorum actuum. Ut proinde non obstat diversitas specifica velut physica ex parte objectorum materialium desumpta. Non referat quoque, quod (ut objicitur) in dilectione proximi reperitur nova difficultas. Quae tamen sufficienter tollitur per mentem vivaciter applicando motivum charitatis proximo, etsi alioquin inimico. Non obstat etiam facilitas diversa, quae sentitur in exercitio amoris Dei & proximi: habitus enim infusi non dantur ad facile, sed ad simpliciter posse; adeoque data diversa facilitate, in aliud principium ipsa est referenda. Non obstat denique, quod divina bonitas non infit interne proximo: etsi enim propterea non sit diligendus super omnia, uti Deus, sufficit tamen ordo seu habitudo extrinseca ad bonitatem Dei, ut propter illam proximus diligatur. Sicut medicina, de se naturae ingrata, amatur ob bonum sanitatis sibi extrinsecae.

Variis objectionibus occurritur.

42. Diversimodè ad id fit. Primò.

Charitas autem Dei diversimodè potest inclinare in dilectionem proximi. Primò quatenus sincerus amicus Dei ab ejusdem bonitate motus cupit eum diligere à quibuscumque, veluti à iis merito diligendum, adeoque ipsum diligere à proximo. Hoc ipsum autem desiderando, maximum proximo bonum cupio, adeoque ipsum diligo, etsi propter divinam bonitatem, quae dignissima est, ut à proximo diligatur.

Secundò.

Secundò, qui diligit Deum cupit ipsi quocumque bonum, atque adeo quod omnia cedant ad bonum & gloriam ejus, ac quaevis creatura sic benedicat Deum, ejusque gloriam manifestet. Specialiter autem Deo bonum est, quod proximus eum amet, veniat ad caelum &c. Unde taliter amat syncerè Deum, se & proximum, qui ut augetur honor & gloria ac bonum Dei, rectè vivit, alios rectè vivere cupit & procurat verbis, exemplis &c.

43. Tertio.

Tertio, qui diligit aliquem, diligit ea quae pertinent ad ipsum, v.g. filium ob patrem.

trem, etiam jumentum amici propter ipsum. Unde 1. Joan. 5. dicitur: *Omnia qui diligunt eum qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo.* q. d. ita natura comparatum est, ut qui patrem diligit, ejus causam quoque filium diligit. Proinde nos qui Deum diligimus, diligimus quoque propter Deum natos ex eo, qui sunt fratres nostri. Aut etiam subinde amatur filius aut externus, quia in eo relictus imago, virtutes & perfectiones amici, &c. & proximus ac creatura alia, quatenus in eo relictus Deus ejusque perfectiones; dum tamen divina perfectio sit, quae movet.

Quarto.

Denique cum Deus praeceperit dilectionem proximi, nascitur inde quaedam necessitas diligendi proximum; quod si tunc faciamus, ne patrem nostrum optimum offendamus, ac ut Deo amico nostro placeamus, quodque illi gratum est praestemus, verè diligimus ipsum propter Deum & divinam bonitatem, cui per omnia placere, & quod illi gratum est praestare cupimus. Sed quia Deus non praecepit dilectionem proximi fieri ob certum motivum, v.g. bonitatem Dei, praecepto satisfaceret, qui proximum propter se amaret, & in necessitatibus ex alio motivo succurreret. Unde ut sit Charitas Theologica, debet fieri, quia id Deo placet.

44. Dilectio proximi ob suam intrinsecam perfectionem, nisi fuerit supernaturalis, est actus amicitiae moralis.

Nihilominus si proximus praecise amatur ob suam bonitatem intrinsecam, etsi supernaturalem, non erit Charitas Theologica; cum Virtus Theologica necessario tendat in Deum, saltem tamquam objectum formale. Quare actus erit amicitiae moralis, siue acquiritur, siue infunditur, si detur. Quamvis & hic possit reflexè imperari per distinctum actum ex motivo charitatis divinae elicitum; ut patet.

QUESTIO V.

De Praecepto Charitatis Dei.

45. Quanam consueantur praecepto diligendi Deum.

PRÆCEPTUM diligendi Deum habetur expressum Deuter. 6. & reperitur à Christo Marc. 22. his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Qui subdit Christus: *Hoc est maximum & primum mandatum.* Quo quidem mandato in primis continetur praeceptum negativum non habendi Deum odio, & generale non agendi quidpiam quod sit contra amicitiam Dei, adeoque praeceptum generale non peccandi, praesertim mortaliter. Continetur praeterea praeceptum generale affirmativum observandi omnia mandata Dei: praeceptum enim hoc est velut compendium praeceptorum, ideoque dicitur ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Is enim veraciter Deum diligit, qui ad amissim omnia Dei mandata studet servare, adeo ut convincatur Deum ex toto corde non diligere, qui observantiam alicujus mandati

T post-